

see had a just and full number of prompt disciples all over England, which would offer no worse sacrifice upon our publick Altars, than Hony and Wax, the good example of Piety, Devotion, Arts and Industry.

*An Extract of a Latin Letter, written by the learned Signior Malpighi to the Publisher, concerning some Anatomical Observations, about the Structure of the Lungs of Froggs, Tortoises, &c. and perfecter Animals; as also the Texture of the Spleen, &c.*

**D**esideratissimus de Respiratione Doctissimi Thrustoni libellus tandem ad meas devenit manus; ubi propugnaciam vidi meam, de Pulmonum substantia\*, sententiam. Quapropter Te anxie rogo, ut ipsi meo nomine officiosam dicas salutem, plurimasque eidem gratias agas pro spontanea & honorifica meorum diditorum tutela.

\* Vid. D. Thruston.  
in Diatriba de Respi-  
rationis Usu prima-  
rio, p. 42. & p. 143.  
144.

Miratus sum valde, Animadversionum Authori in Testudinum, Lacertarum & Ranarum Sectionibus non occurrisse Commercium inter Bronchia, & Pulmones, quos Vesiculas, à laxitate exterioris Pulmonum membrane obortas, vocat; cum sanè immissa in Tracheam fistulâ, & simul insufflato Aere, Pulmones, eidem Tracheæ appensi, hinc inde circa Cor turgeant; quod & ad libitum animalis frequenter accidit: Hi etiam, dum Aere turgent, se filo innodontur ut siccessant, sed tamen patenter oculis Cellularas & Vesiculas, evidenter membraneas, exhibent. Et licet in RANIS brevis sit Bronchiorum processus, à Larynge tamen bini ductus, semi-circularibus aliquot annulis conflati, in membraneas vesiculos biant, atque ita succedit Inspiratio & Exspiratio. At in Testudine, Lacertis & similibus, oblonga Trachea in binos subdivisa ramos, Aerem pulmonaribus Vesiculis subministrat. Scio, in RANIS, propè os, hinc inde binas interdum turgentes erumpere vesiculos (procul tamen à Pulmonibus,) quæ buccæ sunt Appendices, & Aerem interdum, à pulmonibus in oris cavitatem Expiratione propulso, foras exilire.

Circa

*Circa exaratos Pulmones reticularem Musculum locari scias, cuius carneos plexus, sinus, & vesiculas ambientes alias ruderiter delineavi. Hujus mirabilis contextus patet in Ranis, & Lacertis præcipue; nam multiplices carnei lacerti per longum producuntur, & transversaliter elongatis fibris invicem continuantur; intermediae verò areæ reticularibus carneis plexibus ultrius occupantur, non ab simili ritu ac in Arborum foliis accidit. Retis autem enarrata hæc minora spatha rectis postremo fibris, quasi brevibus tendinibus, pervaduntur. Mirabilis hic Musculus non exteriorem tantum Pulmonum ambit regionem, sed interiores quascumque vesiculas & sinus circumdat, ita ut suo motu singulas pulmonis partes comprimendo, Expirationem Sonumque promoveat. Hæc eadem structura in pulmonibus Perfectorum animalium proportionaliter observatur, & in Agnorum extremis præcipue lobulis, Aere turgidis, & adhuc mollibus, patet.*

*Hujus occasione communicandum Tibi duxi, Lienis fibras, quæ tot ingenia torsere, nequaquam nerveas (quod & aliquando ipse autumavi) sed carneas esse, ita ut ex carneo exteriori involucro, & productis transversaliter fibris, mirabilis fiat Musculus, Lienis cellulas comprimens, quo sanguis per Splenicum ramum propellatur non ab simili structura ac ritu, qualis in grandioribus Cordis auriculis observatur: Carnei etenim lacerti, per transversum ducti, suarum fibrarum implicazione Rete efformant, membranæ cellulas comprimens, suisque extremis finibus, mirabiliter productis, carneum involucrum constituunt.*

*Parum ab simili structurâ Equinos præcipue Testes Naturam ditavit; interior quippe ipsorum tunica Carneas fibras, seu extensem musculum, in sui meditallio, una cum varicosis vasis continet, quæ diversas inclinationes, ut in Liene, habentes, per transversum productæ, & reticulariter implicitæ, Intestinulorum congeriem firmant & comprimunt. Pauca hæc & inordinata in mei amoris & obsequii testimonium habeas, precor. Vale, Dabam Bononiæ die 20. Februarii 1671.*